

194



L VII 194



OBERSCHLESISCHE BIBLIOTHEK DER WISSENSCHAFTEN

210/53

57-100.



97  
CHRISTO PRONUBO AUSPICE!

GAMELIAM

VIRI CL.

DNI M. ABRAHAMI  
VECHNERI,

CONR. GYMNASI GORL.

Dignissimi,

S P O N S I,

*nec non*

VIRGINIS SC.

HELENÆ SABINÆ  
ROTSCHIAÆ,

S P O N S Æ,

*quæ*

G O R L I C I I

*in*

ÆDE PETRINA-PAULINA

ANNO cl<sup>o</sup> l<sup>o</sup> LXX. D. XVII. FEBR.

solemniter

*pro*

LIBERORUM SUSCEPT.

non illis Vet. Gr. Τριτοπατράσιν,

Amalcide, Protoeli & Protocleonti,

*sed*

SS. ΤΡΙΑΔΙ,

DEO PATRI, FILIO, ET SPIRITUI S.

*fiet,*

ἀσπαζόμενοι publicant

COLLEGÆ

TYPIS CHRISTOPHORI ZIPPERI,





Ic clarus tandem Linguis VECH-  
NERUS & Arte,  
Nec minus Aoniæ nobile Cor So-  
phia,  
Virginis unius prostratus ab igne re-  
cumbit,

Quamq; diu sprevit, Cyprida poscit opem.  
Nempe hunc, quem Clariæ haut potuere infringere  
Non & cura Sophi, clara Stagira, tui: (curæ,  
A quò Diva Paphi toties irata recessit,  
Et puer abjectis Idalius jaculis,  
Candidulæ victus HELENÆ jam porrigit herbam,  
Infractum pectus frangere quæ potuit.  
Nectamen est HELENE talis, qualis fuit olim,  
Quæ Menelæam liquit iniqua domum.  
Quin potius dotata bonis est moribus ipsa,  
Ipsa futura Decus Deliciumq; tori.  
Maecte tuâ esto HELENA, VECHNERE, ô Sponse  
nouelle,  
Fata cui votis obsequiosa fluunt!  
Jungere cum castâ hac HELENA Junone secundâ,  
Aureolo in thalamum fors fluat imbri novum!  
Tot



Tot bona contingant HELENÆ, (quod corditùs  
opto)

Quot rapit à dulci basiola ore tuo!

Vestra domus dio, NEONYMPHI, nectare manet,

Sit crucii tumulus, lætitiæ cumulus!

Parca albo condat Nephelæia secula fuso,

Seriùs astrimicos & det obire polos!

CHR. FUNCCIUS M.

Gymn. Gorl. RECTOR.

---

**A**nte dies aliquot primordia cepit hic annus:  
Quo fidus Pylades xenia ferre solet.

Et VECHNERE Tibi charissima Sponsa fidelis  
Cordis nunc offert interiora sui.

Quid potius posset, quàm cor, Tibi ferre venusta  
Sponsa; tuum munus sit quoq; cordis amor.

Sic bona spes fuerit, dum cor cum corde jugatur,  
Ut duo sint unum. Sint maneantq; precor

ὀλοκαρδίως

DANIEL Wank.

---

**V**ECHNERE, Aoniæ præsignis adorea gentis,  
Dic age: cur properas jura subire tori?

Quem semel ac iterum memini sic ore locutum:

*Non Mibi, non visum est tam citò inire torum.*

Fallor? An hanc Scholici mentem peperere labores?

An pueri Idalii mille in amore joci?

A 2

An



An Boreæ, lecto qui pergunt inderè tantum  
Frigus, ut obrigeat pesq; manusq; gelu?  
An, qui discipiunt largiri digna palato,  
Vulcano proprio conficiente, foci?  
Haud secus est: veras causas quid quæro doceri?  
Omnia pro stimulis hæcce fuere Tibi.  
Nempe refrigerium voluit Schola dulce; Cupido  
Sermones lepidos, blandaq; basiola.  
Membra maritalem præ frigore dura calorem;  
Et rerum curas expetière lares.  
Hinc Tibi ROTSCHIADEM sociali foedere jungis,  
Divitiis, forma, moribus atq; bonam.  
O bene! Dispeream, nisi Virgo præstet id omne:  
Cujus ad instinctum conjuga sacra paras.  
Utq; Eadem valeat tantò felicius istas  
Officii partes condecorare sui:  
Quisq; Bonus mecum, par est, prece pulset Olympū:  
Quò cuncta altitonans prosperet ausa Pater.  
De reliquo precor, ut prælustriS triga Sororum  
Excubet ad thalamum, Pax, Amor, atq; Salus.  
Sic sine lite quidem, sed non sine prole venusta,  
Optima Conjugio tempora, Sponse, fluent.

CL. DN. SPONSO,

*Collegæ ut amicissimo, ita honoratissimo,  
proper. scribeb.*

MARTINUS RICHTERUS,  
Gymn. Sub-R.



**R**otschia præ reliquis Tibi quod, Vechnere, puella,  
Quâ delecteris nocte dieq̄, placet,  
Non miror: fieri nam cœlitus unio vestra  
Jamdudum voluit sic utriusq̄, Domûs.  
Nempe tuam Sponsæ frater si, Sponse, Sororem  
Rotschius est ausus consociare sibi:  
Quidni vindictæ cupidus Tibi Rotschia, nuptum  
Ut veniat, cures, par referasq̄, pari?  
Hæc nimium pergrata DEO vindicta, bonoq̄  
Sidere pro manans non nisi mente pia.  
Rotschia Gens crescat, crescat Vechneria, crescat  
Utraq̄, pignoribus multiplicata Domus:

quod gratulabundus  
precor

ANDREAS THESEUS

---

SCAZON.

**F**acesse te, Gens Commatis mali valde  
Severiana nominans Torum sanctum,  
Opus scelesti Dæmonis! Coronati  
Tribus coronis gemmeis DEI Oenotri  
Cohors maligna, cede, conjugum vitam  
Spernens nimis! Quid arrogas Tibi flatu  
Weigeliana pessimo? Quid appellas  
Honestius scortarier pium vinclum?  
Amoliamini nefario vos hinc

A 3

Con-



Consentientes schismati! Sacratiq;  
Spectate Codicis Librum, quid affirmet;  
Quid ritè sentiant Patres, Chorus concors,  
Ut literis, sic inclytis suis factis,  
Pensate jugiter: videte Gentiles.  
Tædas probavit Autor omnium rerum,  
Dum sanxit hanc Thesin. Patres vocant terræ  
Decus bonum, suavitatis haud expers  
Fœdus. Nihil moramur Ethnicos cautos  
Minùs. Suum non denegant Viri sani  
Psephisma, testibus libris suis, firmum.  
Ternarius constans suò fatis talò  
Cognoscitur. VECHNERUS ipse cognoscit,  
Pindi celebrioris haud decus parvum.  
Nam sola postquam Palladis prius cultæ  
Theatra legerat, suasq; condignè  
Ostenderat vires, ut inclyti Ludi  
Audiret in Docentium Choro Docto  
Præclara pars, ne Numini suo summo  
Resisteret; piisq; Patribus sanctè  
Habentibus vinclum, suoq; gentili  
Politiori agalmati graves lites  
Intenderet, commiscuit suas Musas  
Cum castioris Cypridis sacris felix.  
Mistura non spernenda, cui piis votis

Est



Est obvianda, cœpta quò fient fausta!  
Meæ quod esse partis æstimo, binis  
Junctis jugali vinculo Viro, Costæ  
Acclamito: Parens Olympici Tecti  
Adfis Novellis Corculis: tuâ vinci  
Clementiâ, favore perpeti: cedat  
Morbona, lis, præsentia tuâ, quævis!  
Sint Sponsus atq; Sponsa sospites usq;  
Polarcha, fac: nec insequens dies tardet  
Prolem! fit hicce terminus. Pole, exaudi!

*Ita ὀλοψύχως apprecatur*

*C. Möller/Cant.*

---

**U**T sine sole dies est, ut sine sidere nox est;  
Sic sine Patre domus, sic sine matre torus.  
Næ grave, Cimmeriis solum sedisse sub antris!  
Næ, noctu manes, t' iste, timere vagos!  
Quorum pertæsus tandem, qui, comparis expers,  
Hactenus hybernâ nocte calere nequit,  
**VECHNERÛS** sociam vitæ sibi ritè poposcit,  
Digna suò geniò quæ, satis apta toro,  
Quæ veniat, sedeat, vigilet, vigilando ministret,  
Pareat, & pariat, quæ oscula mille ferat,  
Quâ cum tam soles, quam noctes transigat atras,  
Cujus & amplexu molliter ipse cubet.  
Ergò nunc voti compos, mi Sponse, fruaris  
Cum sponsâ donis cælitus hisce datis.  
Id quod Ego **VOBIS** Νεογάμοις scribitus opto;  
Omnis ἔρις fugiat Vos, beet omnis ἔρως.

Mas



Mas  $\Psi$ N Rabbini est,  $\Psi$ N casta marita est,  
Cujus cor caudæ,  $\Psi$  DEUS, adde, cluet,  
Author Conjugii sancti, servator, & Auctor:  
Illud si demas,  $\Psi$ N levis ignis erit.  
Sit DEUS his sponsis præstò, pia Numina posco;  
Mox, procul, & longè transeat ignis, èpis.

MATTHÆUS SEYLERUS,  
Civ. & Coll. Schol. Patr.

---

*S. Francisci, Ordinis Minorum Conventualium  
Institutoris, Manes & Sponsus colloquuntur.*

*S. Franciscus.*

**F**Ratribus antra meis habitas, VECHNERE, dicata,  
Et gestis socio subdere colla jugo?  
Ordinis observas sic non decreta verenda  
Nostri, dum thalami fœdus inire cupis.  
Audax demiror cœptum: quia nemo subivit  
Fratribus ex nostris connubiale jugum.  
Labe vacat, cælebs: sic omnis criminis expers  
Cernitur ante tori vincula primus homo.

*Sponsus.*

Cœnobii, Francisce, quidem colo tecta sacrata:  
Sed non sum Monachus, nec tua jussa moror.  
Cœnobium Fratres tonsi coluere quod olim,  
Est Schola jam studiis nobilitata suis.  
Non mihi vita placet cælebs (ignosce fatenti)  
Cœnobii quamvis antra sacrata colam.  
Nimirum cælebs sine cœlo, teste Luthero,  
Nec fidei quicquam cælibi inesse solet.

Semper



Semper Collegis nostris, habitantibus isthoc  
Cœnobium, licuit fœdus inire tori.

*S. Franciscus.*

Cœnobium esse Scholam, non miror: namq; **juventa**

In quoq; Cœnobiis instituenda rudis.

Hoc miror, foveat socio quod fœdere junctos

Cœnobium, Fratres quod coluère mei.

Ergone Gorlicio noster nunc exulat Ordo?

Sed pergo à cœptis Te revocare tuis.

Quàm miserum est sociâ cum conjuge ducere vitam,

Quæ rixæ & litis semina mille serit.

Nulla viro requies, nec cum se condit in undas,

Nec cum sol roseis manè recurrit equis.

Est pecus indomitum Mulier, sine fine mariti

Dura reluctatur subdere colla jugo.

Conjugium pertriste jugum, crux, vana voluptas,

Orcus, fel, virus, perniciesq; Viro.

*Sponsus.*

Concedo, Francisce Pater sanctissime: sed non

Omnes rixarum semina mille serunt.

Sunt, quas commendat cum mansuetudine pacis

Dulcis amor, pietas, in sociumq; fides.

Semper erit nova Nupta mihi mansveta, fidelis,

Comis, mitis, amans pacis, amansq; DEI.

Imperium nostrum non detrectabit: in omni

Vitâ mansvetæ se geret instar ovis.

Officiet nostræ non uxor amanda quieti,

Cujus in amplexu grata futura quies.

Conjugium perdulce jugum, lux, grata voluptas,

Hortus Edenæus, mel, medicina, salus.

*B*

*S. Fran-*



*S. Franciscus.*

Summum Tu Sophiæ superasti culmen, & haud scis,  
Quid prisca statuant de Muliere Sophi?  
Annon nota Tibi veterum sunt carmina Vatum,  
Jura quibus focii displicuere tori?  
Est dux (sunt Senecæ sapientis verba) malorum.  
Fœmina: amat lites, ut Stagirita docet.  
Scylla à Philosopho quodam exornata vocatur,  
Tempestasq; domus, naufragiumq; Viri.  
Lux, ait Hipponax, felix est illa, maritus,  
Quâ nuptum ducit, quaq; recondit humo.

*Sponsus.*

Non benè conveniunt, nec laudis puncta merentur  
Cuncta Sophum & Vatum dicta vel acta gregis.  
Uxor si qua venit virtutum splendida cultu,  
Dicier illa suo jure corona meret.  
Scæva, bibax, viriosa, loquax, malâ, prodiga, sæva  
Non mihi, sed sævis esto corona Scythiis.

*S. Franciscus.*

Cum Sponsâ quoniam jamjam conscendere spondam,  
Sponse, paras: ecquis Te revocare velit?  
Nimirum socio Tu totus amore calescis:  
In pectus fixit tela Cupido tuum.  
In spondam Sponsam fausto pede ducito, Sponse,  
Vos comitet largo munere sancta Trias.

*Honoris & boni ominis  
ergo scribeb.*

ANTONIUS Schmidt.

*Ergo*



**E** Rgo subis etiam, longè charissime Frater,  
 Tandem legitimi vincula sacra tori?  
 Te nempe ulterius sine conjuge vivere tædet,  
 Solus & in vacuo nocte cubare toro.  
 In Ludo quando fungeris munere, chara  
 Posthac curabit ritè marita domum.  
 Hæc etiam tibimet relevabit sæpe molesta  
 Tædia, quotidie quæ schola ferre solet.  
 Tu Con-Rectoris fungaris munere longum,  
 Longum sit Redrix & nova Nupta domus.

THEOPHILUS VECHNERUS.

**S**o will er denn nunmehr auch in den Ehe Orden/  
 Herr Vechner/ künfftig seyn? Ist Helena ihm worden  
 Zur güldnen Fessel/ daß er nicht entgehen kan  
 Dem süßen bittern Stand auff diesem Erdenplan?  
 Ja/ ja das Liebes Joch läßt er sich heut auffbürden  
 Von Cythereen Hand bey seines Amptes Bürden.  
 Gott laß ihm dieses Joch im Leben leichte seyn/  
 Und wende gnädig ab/ was hegt und bringet Pein!

Alexander Vogel/  
Coll. IX.

MAGISTER ABRAHAMUS VECHNERUS.

καὶ ἀνάγραμμα.

VIR, ARTES URGES: HANC MUSAM HABE.

**I**ngenuas ARTES URGES, VECHNERE, novenas,  
 Et Musas magnà non sine laude colis.

Nunc in amore Venus, juvenis VIR, sum tibi prona,

HANC decimam MUSAM, quam petis, inquit, HABE.

CHRISTOPHORUS Schnabel/

S. S. Theol. & Phil. Stud.

ETXH



ΕΥΧΗ ΓΑΜΙΚΗ.

**F**œminam primo socians Adamo,  
Ipsius de corpore fabricatam,  
Primus in sacro Paranympus horto  
Talia dixit:

Prole succrescat citò copiosâ  
Vester hic nexus socii cubilis,  
Quæ mihi laudes resonet frequentes  
Omne per ævum.

Servat hunc morem sine fine, castis  
Interest tædis, benedictione  
Et suâ semper juvat, & benignus  
Promovet istas.


Ergò cum vitæ quoq; Tu jugalis  
Fœdus hoc, VECHNERE, die subintres,  
Et novus dici cupias maritus,  
Gaudia promo.

Este concordēs: DEUS affluente  
Pace soletur geminos Amores!  
Este felices: DEUS æqua castis  
Dona det ausis!

Is domum vestram tegat, & recente  
Stirpe vos olim faciat parentes,  
Stirpe, quâ possint pater & mater  
Dulce jocari!

Spes, fides, candor, pietas pudorq;,  
Juno, fors & laus, Genio favente  
Serviant vobis, procul omnis esto  
Cura dolorq;!

JOACHIMUS GRÆCIUS,  
S. S. Theol. Studiosus.









Oberlausitzische Bibl. Görlitz



1006931 8